

An quidquam observasti in America de insectis?

Si velis me summo gaudio afficere, quaeso des mihi characterem Camojondurae. de quo in somno cogito, quum figurae Hernandes mihi nimis paradoxae appareant.

Devota mea officia dicas Generosissimo Dno. v. Swieten.

Fac sciam num D. de Scopoli flora prodierit? nec non quid agat egregius *Kramerus*?

Cur dicis Lobeliam longifloram esse venenatissimam?

Addo flores et semina Plumbaginis 2, Petiveriae, Verbesinae 1.

(* Adjacet Epistolae IV. altera Linnaei manu ad Swietenium)

Summo Medico Lib. Bar. Gerh. van Swieten Archiatro Caesareo.

Medico principi debebit orbis stupendas plane quas detexit res acutissimus D. Jacquin. Hortum Botanicum, a viro quem omnes medici totius orbis mecum admirantur et venerantur instructum, variis seminibus primo vere ditabo. D. Scopuli librum avide exopto, ad plantas Jacquini obstupesco. Te antiquum meum benefactorem recipiant et colant omnes Botanici cordati uti verum artis Maecenatem.

Ups. 1759. Nov. 22.

C. Linnaeus Equ.

4.

Summo plantarum inventori DD. Nic. Jacquinio
s. pl. d. C. Linnaeus.

Hodie Tuas d. 14. Novembr. datas accepi et ob stupendam novorum generum copiam exhorruui. Utinam possem 8 dies apud Te esse et videre Tuas divitias! sed fata ventant. Credideram me aliquot novisse plantas, nunc video me nosse fere nullas. Crederem quod si Tuas viderem, aliquot eruere, ex brevi caractere difficile est.